SPECIMEN

MEDICO INAUGURALE

DE

SYMPATHIA IN GENERE,

QUOD FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

JACOBI LUDOVICI KESTELOOT,

MED. CHIR. ET ART. OBST. DOCT. ET IN FACUL. MED. PROF. ORD.

NEC NON

EX NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,

CORAM TOTO ACADEMIÆ GANDAVENSIS SENATU,

AD GRADUM DOCTORATUS,

SUMMOSQUE IN MEDICINA HONORES,

RITÈ AC LEGITIMÈ ACQUIRENDOS;

PUBLICÈ DEFENDET

HENRICUS HERDEN,

MECHLINIENSIS,

DIE 18 JULII MDCCCXXVI, HORA XI IN ÆDIBUS ACADEMICIS.

GANDÆ, TYPIS J.-N. HOUDIN.

VIRO CLARISSIMO

FRANCISCO ÆGIDIO VERBEECK,

MEDICINÆ, CHIRURGIÆ ET ARTIS OBSTETRICIÆ DOCTORI,

ANATOMIÆ ET PHYSIOLOGIÆ

PROFESSORI ORDINARIO IN ACADEMIA GANDAVENSI,

REGII SCIENTIARUM ARTIUMQUE INSTITUTI,

NEC NON

COLLEGII MEDICI IN FLANDRIA ORIENTALI SOCIO, etc. etc.

HANC DIATRIBEN INCOMPLETAM TANTUM UT PUBLICUM SUMMÆ GRATITUDINIS MONUMENTUM EA, QUA PAR EST, REVERENTIA.

D. D. D.

AUCTOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

SYMPATHIA IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

Organa omnia et textus varii, corpus humanum constituentia, tanto conjunguntur vinculo, tam mire consentiunt, ut mutuo quidem actionum concursu partes nostræ variæ quasi pacto fœdere socias operas invicem commodare semper nobis videantur. Sic concordissimo nisu totum efformatur perfectum. Res sit in exemplo: sublimiori corporis parti impositum, Encephalon totam regit machinam, motibus omnibus nostris imperat, cor, sua vice, in cerebrum reagens, in remotissimas corporis partes fluidum propulsat, vitam et sanitatem late dispertiens; ea tamen conditione ut sanguini calorem vivificantem et dotes novas ex atmosphera impertiant viscera duo, pulmones dicta. Quamvis organa ea, *triumviratum Immortalis Bichati* efformantia, functionibus quam maxime naturâ variis, si seorsim animadvertantur, fungantur; nullum tamen ab aliis sejungi potest, quin subito collabentes pereamus. Apparatus varii alias in corpore humano non minoris momenti actiones pro physiologo

peragunt. Præterea, respectu habito ad vitam externam, sensuum ope corpora inspiciuntur circumdata. Sic V. C. bulbi ocularis ope, homo et animantia varia cum rebus universis in amplissimum ponuntur commercium, ut adeo cœlestia pariter ac terrestria corpora intueri et cognoscere valeant. Sensuum igitur ope, ea vel appetimus vel fugimus prout nobis vel arrideant vel ab iis abhorreamus. Nos igitur circumfuses consentientes, consentimur nobismet ipsis : ubicumque ergo, et quidem in variis naturæ regnis, mirandam conspicimus harmoniam (1).

Quodvis organon suas functiones implet. Sunt tamen quædam, ut cerebrum, cor et pulmones, in varios apparatus majorem, frequentiorem et magis manifestam quam in reliquos machinæ humanæ apparatus aut organa, actionem peragentia. Exinde, parte una in aliam agente in statu pathologico, nascuntur symptomata sympathica eo magis manifesta et quidem magis à medico metuenda, quo organon primitus læsum majoris momenti functiones in œconomia adimpleat. Quidquid sit, tum actiones omnes læte ac floride perficiuntur, tum vero patiuntur simul viscera varia, textus, apparatus varii, qui, stante sanitate, imperio ac potestati alius visceris, organi apparatûsve proxime subjici non videbantur. Hinc *sympathiam* seu *partium concursum* plures auctores medici acceperunt bifariam : nempe, ut concursum aliquem plurimarum partium ad hanc illamve actionem perficiendam conspirantium; vel ut quam-

---

(1) Vide. Opera. Buffonii, Script. franco-galli Bernardin de Saint-Pierre, Blumenbachii, Linnæi, Physiol. Richerand, etc.

dam partium compassionem aut condolentiam, quâ fiat, ut, unâ male affectâ, pars alia et diversa simili vel diverso tristi tamen sensu condoleat (1). Sic *Bausner* ait : « Consensum esse partium humani » corporis earumque actionum et passionum convenientiam seu » harmoniam : quæ fit vel naturalis vel præternaturalis : illa spec- » tatur in partium actione et usu, hæc vero in morbis seu consti- » tutione quæ est præter naturam (2). »

In priori casu, nos solam organorum synergiam (συν, ἔργον) invenientes, lectorem ad varios physiologiæ tractatus reducentes, de partium consensu in statu sano non loquemur. Dissertatio nostra ea tantum competit quæ locum habent quum partes variæ sympathico moto afficiuntur, quum simul patiuntur (συν, παθος), simulque condolent. Eamdem, quoad sympathiam, habuerunt sententiam scriptores antiqui. Ab Hippocrate, non nisi de vehementibus turbis, quæ, affecta aliqua parte, in alia suboriuntur, dicitur, rem explicante *Galeno*. (3) *Aretæus* quoque semper de vehementiori affectu intellexisse videtur. (4) Quoad *Paracelsum* et *Helmontium*, vocem sympathiam ad therapiam insuper detulerunt : exindè auctores hi de *remediis sympathicis* in operibus suis continuo loquuntur, quasi remedia illa miranda vi in œconomiam agerent. (5) Horum aucto-

---

(1) Vide. Galenum, Medendi Method., cap. 5, fol. 10. Basileæ, 1661. — Rega, Tractat. de Sympath., fol. 1, edit. Francofurti et Lipsiæ, 1762.

(2) Tractat. de Consensu partium, fol. 3.

(3) Vide. Foësium, Æconomia Hippocratica, voce συμπασχειν

(4) Opp. Edit. a Boerhavio curata. Leid. 1732, pag. 22, 23, 54, 56.

(5) Helmontius, Opp. omnia. Francofurti, 1707, part. 1, pag. 579.

rum commenta parum immutavit *Schola Stahliana* et horum medicaminum usum strictioribus constrixit vinculis (1), hodie plerique scriptores sympathiam dicunt : consensum, conspirationem, commercium variarum partium corpus humanum constituentium, sive consensus ille in statu sano, sive hæc compassio in statu pathologico locum habeat. Nos, ut jam antea diximus, voce sympathiâ, stante morbo, tantum utimur. Præterea si lector quædam de sympathiis metaphysicè requirit, immortalem *Cabanis* perlegat, meliora discet quam nos conscribere possemus, si à metâ nobis propositâ discedere in animo foret (2).

Antequam ulterius progrediamur, necessario requiritur ut generalem sympathiæ definitionem proferre conemur; quandòquidem in omni disputationis genere optime exordium fit à definiendo id, de quo agitur. Antea tamen paulo altius incipere opus. Si pars aliqua dolet eodem momento quo organon aliud ægrè afficitur, num affectio, quæ primitus videtur secundaria, fortuita non existat, id est, si causa diversa, plus minusve manifesta, unam vel alteram affectionem morbidam non produxerit, attendendum est. Hæc pro praxi necessaria. Præterea non admittimus sympathiam quando secundaria explicari potest actio actione mechanica alicujus organi in aliud organon ; 2.° quum phænomena pathologica dilucidari possunt absorptione perversâ ; 3.° quando secundarii morbi causæ ra-

(1) Junkeri, Conspect. therap., pag. 4.

(2) Cabanis, Rapports du Physique et du Moral. Tom. II, 10.° Mémoire ; et Reis, des Sympathies considérées dans les diff. appar. d'organes. Paris, 1825, introduction.

tio reddi potest propagatione directa inter partes duas sive continuas sive contiguas. Sed illic sympathico modo patiuntur organa duo, aut numero majora, quum partes intermediæ illæsæ et ideo sanæ remanent. Sequentem igitur definitionem proponimus :

Sympathia est alicujus organi in aliud organon reactio manifesta et peculiaris sed morbosa, quæ reactio nec causæ directæ, nec propagationi per continuitatem aut contiguitatem, nec casui fortuito; sed nexui ignoto quoad ejus essentiam inter organa obvio adscribenda est (1).

CAPUT SECUNDUM.

De Sympathiæ causâ.

Veteres sympathiarum theoriæ nec operam nec studium dare potuerunt. Observabant facta, quorum explicationem et causæ rationem derelinquebant, anatomiam et mutuam organorum actionem ignorantes. Nobis forsitan objicietur *Hippocrates*. Jam enim ab antiquissimis temporibus notam fuisse sympathiam testes habemus, *divum Senem* (2), *Galenum* (3), *Celsum*, qui sua omnia ex

---

(1) Rem profecto facilius explicavit Baylius quum ait : Sympathia est compassio partium corporis inter se affectu *simili* vel *diverso* a parte primaria affecta parti compatienti communicato *quavis ratione*.

(2) Dicit Hippocrates : *Confluxio una, conspiratio una, consentientia omnia.* Vide lib. de aliment., § 4, fol. 595, edit. vander Linden.

(3) Vide classe 4, lib. de Locis affectis, fol. 36. Basileæ, 1861, in-folio.

Hippocrate compilasse videtur (1), et multos alios, quibus omnibus, uti ex illorum scriptis patet, partium in statu sano atque morboso consensus ignotus non fuit ; sed respondebimus : vir ille immortalis, Hippocrates, antiquitatis illud illustre decus, non fuit physiologus, ergo nihil de sympathiarum theoria conscribere potuit. Si viro illo præstantissimo tanta, tot sæculis elapsis, laus merita remansit, causa est quòd summo atque rarissimo præditus ingenio, naturam longâ iterum iterumque inspexerit observatione. Similis est, ut ita dicam, divus Senex Homero divo qui et Illiadem et Odysseam conscripsit, antequam ab aliis poematis epici regulæ in lucem fuerant editæ. Attamen sæpius erravit celeberrimus medicorum princeps ; quod quidem probat nos raro derelinquere posse physiologiæ viam, nisi merito timere queamus, ne à veritatis tramite recedentes, metam propositam non attingamus.

Quum anatomiæ studium incubuêre auctores medici, quædam physiologiæ leges sensim sensimque innotuerunt. Encephali et nervorum descriptioni adjungere conati sunt horum organorum actionem, et sympathiæ causam detegerunt. Sed sæpius ducti opinionibus male et infauste stabilitis, hypotheses plus minusve speciosas veritatis loco proposuerunt. Sic auctores varii communicationes sympathicas tribuerunt productioni membranarum cerebri quas in omnes corporis partes extendi opinabantur. Baglivus, v. g. in *tractatu de fibra motrice* hancce stabilivit continuationem ; sustinet plerasque partes saltem sensiles, nil aliud esse quam duræ meningis fibra-

---

(1) De Sympath. tract., pag. 28. Francofurti et Lipsiæ, 1762.

rumque medullarium cerebri productiones, et continuationem. Inde concipit partes inter sese consentire, eò quod solidum irritatum et oscillans oscillationes suas momento temporis propaget ad remota et vicina loca; quibus per continuam suarum fibrarum seriem connectitur. Sed illa assertio, in qua leges mechanicæ primas agunt partes, tam physiologiæ quam rationi tantum adversabatur ut diu teneri non potuerit. (1) Noster H. J. Rega, pristinæ Lovaniensis academiæ decus, invenisse rationem, ad sympathiam exponendam, eodem fere modo credidit : partium consensum explicare conatus est mutuis oscillationibus a membranis nervosis perceptis. Quid diceremus de opinione Galeni? Vir ille cœteroquin celeberrimus phænomenorum sympathicorum causam anastomosi vasorum sanguiferorum adscripsit; quasi connexus vasculares mammarum et partium genitalium causa essent sympathiæ inter organa adeo remota obviæ. Hæc assertio a notionibus hodiernis tantum discrepat ut revera tempus et oleum frustra consumeremus in hujus opinionis refutationem. Miramur quod Rega, dormitantis Galeni sententiam partim secutus, addiderit : « Necessitate legis mechanicæ hydraulicæ sequitur, » fluida in cursu suo impedita majori vi et copia in alias partes » debere proruere ». (2) Tam spissas derelinquamus tenebras, ad minus obscura progrediamur.

Auctores sympathiarum causam membranarum continuitati adscribentes, argumenta varia afferunt, quibus adjuvantibus, theoriam primitus admodum arridentem, sed hodie jure ac merito derelic-

(1) Vide Dictionnaire des Sciences Médicales, article Sympathies.

(2) Rega, l. C., pag. 24 sq.

tam, stabilire cupiunt. Ad auxilium vocant structuram anatomicam et opera *Baglivii* (1), *Bonnii* (2) et *Xaverii Bichati* (3) perscrutantes, rationes plus minùsve speciosas adducunt, quibus faventibus, ad veritatem propiùs accedisse revera videntur. Membranæ mucosæ, v. c. aiunt, glandulis mucum secernentibus instructæ, arctissime cum cuti, cum qua plurimum conveniunt, cohærent. Harum membranarum una portio os atque fauces, Tubam Eustachii et fistulam spiritalem, ductus glandularum excretorios et viscerum in intestinis obvenientium permeat et rursus per anum evadens, cuti denuo annectitur. Altera pars vias obvestit genitales et uropoieticas, et in feminis ad tubas usque uterinas, ubi membranæ mucosæ et serosæ confunduntur, tendit. Nonne igitur, dicunt, continuitatis causâ, uvulæ titillatione commovetur vomitus? Nonne, eamdem ob causam, vermibus in intestinis nidulantibus, percipitur narium pruritus? Nonne addunt eodem ægrè afficiuntur modo qui calculum gerunt in vesica urinaria, quum glandis penis titillatione præmonentur de affectione horrenda chirurgiæ auxilium serius vel ocius requirente? Nos, eorum sententiam amplectentes addere possemus : una pars, punctum unum tantum obvenit in corpore humano ubi mucosæ et membranæ serosæ coeunt, ut supra vidimus, ita explicamus, cur, post læsiones uteri tam sæpè reperiamus peritonitidem. Sed multùm abest ut talia phænomena tali membranarum adscribamus conti-

---

(1) Op. citat. de fibra motrice. Cap. IX et X.

(2) Ce continuitate membranarum Lugd. Bat. 1763.

(3) Traité des membranes en général et des diverses membranes en particulier. Paris, an VIII.—1799.

nuitati. In morbis prælatis partes dolentes membranâ mucosâ communi revera junguntur, sed petimus cur partes intermediæ, quas idem efformat textus illæsæ remanent. 2.° Petimus cur inter organa quæ ceteroquin nullâ vinciuntur continuitate, sympathia sæpius animadvertatur; detur v. c. nobis ratio, continuitatis explicationis ope, doloris illius peculiaris ad scapulam dextram percepti dolente glandula hepatica; quo sympathico afficitur modo hepar post encephali læsiones a causâ externâ illatas? 3.° Cur spasmodice afficitur diaphragma in herniis incarceratis. 4.° Denique, si continuitate sympathia explicanda venit, irritatâ membranâ conjunctivâ, quare non afficitur pituituria? Quidquid sit, quamvis supra dicta sufficienter nobis probare videantur solam continuitatem nullo modo concurrere posse ad sympathiam promovendam, sequens, adhuc addemus experimentum à celeberrimo Bichato tentatum quo nostram ulterius firmabimus refutationem : præcidit clarissimus ille physiologus œsophagum cani, in amphitheatro allato, brevi postea irritavit uvulam et vomitus, ut antea, hujus organi titillatione commovit (1). Si igitur, intercepta continuitate, non idcircò tollatur sympathia, quænam sit exinde deducenda conclusio, omnibus patet. Respondimus igitur cum auctore *Monfalcon* : *L'état actuel de la science physiologique ne permet pas de croire que les membranes soient les agens des sympathies; Baglivi pouvait le faire, lui qui faisait venir tous les tissus du cerveau. Mais aujourd'hui que leurs espèces sont parfaitement connues, on connait mieux leurs fonctions* (2).

---

(1) Bichat, Anat. générale, tom. I, pag. 192.

(2) Dictionnaire des Sciences médicales, article cité. Legimus etiam apud *Adelon*,

Quidam sympathiarum continuitati junxerunt quid locum habet quum irritantur orificia et ita simul afficiuntur glandulæ. Nomen advocantes *Bichati*, dicunt alicujus glandulæ actionem adaugeri, irritato canalis secretorii orificio. Bene quidem dicunt, sed non sympathico modo peragitur hocce phænomenon. Cur iidem auctores alicujus musculi contractiones sympathiæ non adscribunt quum irritantur rami omnes solius trunci nervosi eumdem ineuntis musculum?

Sunt auctores alii, inter quos summus *Bordeu* annumerandus obvenit, qui asserunt omnem sympathiam telæ cellularis continuitati adscribendam esse. Hæc theoria pariter rejicienda. Hodie non creditur telam cellularem esse mobilem sensilemque.

Physiologi in hoc textu dilatationes et constrictiones, quibus humores, hujus telæ adimplentes cellulas, in varios propulsentur sensus, ulterius nos admittunt. Hæcce theoria, in qua denuo leges mechanicæ primas agunt partes vitæ legibus et notionibus hodiernis tantum adversatur, ut nos ulterius retinere non queat.

Post telam cellularem veniunt vasa. Qui partibus illis organismi nostri sympathiæ causam referunt, inter innumera claudicantia argumenta, sequentia proponunt : Si obstipatione, obstructione, constrictione, vasorum lumina obturantur, humores ibi stagnant et ita sympathico motu in aliis locis accumulantur ; 2.° hanc origi-

---

Physiologie de l'homme, tom. IV, pag. 349 : *Est-il possible aujourd'hui d'admettre que les sympathies soient établies par le moyen des membranes? Ces membranes sont des organes très-divers par la structure, la vitalité; elles forment autant d'organes isolés, distincts ; et l'on ne peut leur rapporter l'accomplissement d'un usage aussi spécial qu'est celui qu'on leur attribue, etc.*

nem œdema apud gravidas agnoscit et varicosi venarum artuum inferiorum tumores; 3.° ab obstructo liene nascitur Hæmatemesis; 4.° rubor et tumor faciei, eà de causà sympathicà colli tumores comitantur; 5.° inguen tumet iis qui diutiùs balneo tepido insident, etc., etc. Hæc omnia, ut cuique patet, ad sympathias referri nequeunt, illisque oppugnandis non detinebimur.

Ab organorum vicinitate phænomena sympathica petierunt scriptores alii, inter quos celeberrimus *Hunterus* præsertim est annumerandus. Sunt revera sæpissime condolentia varia organa contigua; sed etiam contrarium animadvertitur. Hinc, ni fallimur, horum auctorum erroris fons. Partes quam maximè remotas modo sympathico simul affectas quam sæpè reperierunt, quod ratione quàvis (1) explicare conati sunt. Nunc vicinis et quidem contiguis organis condolentibus, compassionis causam organorum vicinitas necessario adjuvavit. Si lector ulteriora, quoad hanc refutationem requirat,

---

(1) Hallerus, ne forsitan in errorem incidat, sympathiæ phænomena in sex classes divisit. « Unde, ait, consensus partium adeo in praxi medica celebres? » 1.° Aliquos adparet ad vasorum sanguineorum conjunctiones pertinere, quibus » fit, ut repulsus ab aliqua sanguis gravior alteri incumbat quæ communi a » trunco sua vasa habet. 2.° Consensus oritur ex simili duarum partium fa- » brica, qua fit ut ex iisdem causis in corpore natis similia utraque patiantur. » 3.° In continuitate membranarum, unde pruritus in glande penis a calculo, etc. » 4.° E nervis ipsis eorumque anastomosibus. 5.° E sensorio communi, ipsoque » nervorum principio, quod manifectum faciunt convulsiones latæ sparsæ ab » irritatione nervi unici : epilepsiæ universales a vitio topico. 6.° E continuitate » telæ cellularis. » Vide *Haller*, primæ Lineæ physiologicæ, pag. 217.

Adelonii (1) et physiologi *Roux* adeat opera. (2)

Quidquid sit, transmittuntur profecto sympathiæ uno aliove organorum systemate : læditur pars quædam et subito pars alia remota, diversam in organismo perficiens actionem, nullo perceptibili nexu cum priori parte connexa, ægrè afficitur. Absque ullo dubio textus ibi adest intermedius, quo juvante, transfertur ab uno ad aliud organon causa morbosa. Quodnam igitur sympathiæ transmissæ instrumentum.

Auctores varii, uti *Wythius*, *Willisius* et *Vieussensius*, qui primi nervorum distributionem et decursum accuratiùs ostenderunt (3) deinde *C. L. Duverney* (4), *F. Hoffmannus* (5), *Gregory*, professor Edimburgensis (6), *Curtius Sprengel* (7), nostrisque temporibus *Georget*, *Alibert*, *Chaumeton*, *Broussais*, *Adelon* (8), etc.; systema nervosum unicum esse sympathiæ instrumentum sustinuerunt. Nos quidem eamdem defendere sententiam suscipimus. Systema quidem nervosum totum efformat continuum cujus partes omnes sibi invicem respondent. Si huic opinioni objectiones variæ fuerunt olim

---

(1) L. C. pag. 324–325.

(2) Mélanges de chirurgie, Mémoire sur les sympathies, ad finem et Dict. des Scien. médic., pag. 548, tom. LIII.

(3) Portal, Hist. de l'Anatomie et de la Chirurgie, tom. III, pag. 96, 59, et tom. IV, p. 21.

(4) De organo auditus, pag. 55, 38.

(5) Opuscul. pathol., pag. 109, 59.

(6) Conspect. medic. theor. Edinb. 1782, in–8.°

(7) Pathol. th. I, § 156 sq.

(8) L. C. vol. 4, 350 sq.

oppositæ, causa est quod multò majus actum fuerit de mechanismo quo transmittatur sympathia, quam de sympathiarum instrumentis, jam diù systemati nervoso dicatis (1). Quod ad nos attinet, sequentia observamus : 1.° Nullus consensus, nullum sympathiæ phænomenon ulterius percipitur, compressis, ligatis, resecatis partis cujusdam nervis; 2.° quo plures nervos accipit organon aliquod, eò manifestiora ostendit phænomena sympathica; 3.° quo sensiliores sunt individui, eo, ut ita dicamus, sympathiarum sunt magis capaces. Nobis forsitan objicietur partes obvenire aliquas in corpore humano nervis omninò carentes et exinde sympathiæ transmissionem per nervos negabunt aliqui; an hæcce objectio refutatione digna sit necne dubitamus. Nullam in organismo nostro dari partem viventem nervis totidem orbatam sustinemus. Si anatomico scalpello detegi nequeunt, facta pathologica, quæstionis de quâ nunc solutionem præbent. Ex inflammatione v. c. textûs fibrosi innumera oriuntur phænomena sympathica. Ligamentorum torsione percipiuntur dolores acerrimi. Atqui partes omnes, si pilos et ungues excipias, sunt sensiles; ergo nulla datur pars in corpore vivo nervis orbata; ergo sunt omnes sympathià capaces.

Ad nostræ theoriæ nodum transeamus. Systema nerveum sympathiam tantum duplici modo producere valet : vel ex anastomosibus trunci nervei illam exercent, vel nervi sunt alicujus principii ad cerebrum conductores, unde in unam aliamve partem repercutiuntur. Idem dicit *Cl. Adelon* ut sequentibus videri est : *Le système nerveux ne peut établir les liens sympathiques que de deux manières*,

(1) Adelon, L. C., vol. IV., pag. 353 et sq.

ou parce que les parties qui sympathisent reçoivent des ramifications des mêmes troncs nerveux, ou sont unies par des anastomoses nerveuses; ou parce que l'irradiation nerveuse qui émane de l'une des parties, va aboutir d'abord au centre cérébral, d'où elle est ensuite réfléchie dans toutes les dépendances du système, de telle manière cependant que certains organes sont plus que d'autres modifiés par cette réflexion. (1) Priorem sententiam à *Boerhaavio*, *Rega*, *Vieussensio* atque *Mortonio* admissam non accipimus, sequentibus innixi argumentis : 1.° Cur non est sympathia mutua; 2.° cur, trunco læso, omnes ramuli simul non afficiuntur; 3.° plures partes sæpè condolent, quamvis in illis nulla nervorum reperiatur communicatio; 4.° sæpiùs abest sympathia inter organa innumeris connexa nervorum anastomosibus; 5.° denique, omnis sympathia, quoad irritationem quâ producitur, aliquid speciale requirit.

Maximum sympathiarum numerum mediante cerebro concedendum esse credimus. Eamdem defenderunt sententiam, inter veteres, *Willisius*, *Ettmuller*, *Bell*, *Perrault*, *Astruc*, etc., et inter scriptores hodiernos, eadem docent ferè omnes physiologi. Nervorum ope impressio morbosa ab organo, quâcumque causâ irritato, transfertur ad Encephalon quod subitò, quasi fluidi galvanici aut elec-

---

(1) Addit Adelon, L. C., pag. 355. Eamdem quàm *Wythius* defendem opinionem : *La naissance des nerfs d'un même tronc, ou leur union par des anastomoses est une chose illusoire, car les plus petits filets ne se communiquent pas, il n'y a que rapprochement entr'eux ; et si ce rapprochement suffit pour produire des sympathies, comment concevoir pourquoi il n'en existe pas davantage, et pourquoi il ne survient pas pour la moindre cause des troubles plus nombreux ?*

trici velocitate, in totum systema reagens, hancce corporis partem afficit cujus sensibilitas seu potius susceptibilitas cum modo atque reactionis vi, à centro sentiente exercendæ conveniunt (1). Sequentem igitur *Cl. Broussaii* admittimus atque defendere suscipimus propositionem : *Lorsque l'irritation prédomine dans les viscères, les nerfs ganglionaires la font refluer dans l'appareil de relation par les nerfs cérébraux avec lesquels ils sont en communication dans ces mêmes viscères, et la volonté n'est pas plus libre de refuser cette irritation que de reprendre celles qu'elle a versée dans les viscères* (2).

Quis enim negare posset quam plurimum pendere nervorum sympathiam ab ipsius *sensorii communis* renixu, ut *Cl. Soemmeringius* habet (3) ; cum istis animalibus, apud quæ maximè viget encephali actio, maximum quoque sit inter nervos commercium. Quamvis enim nerveæ fibrillæ separatìm decurrunt, neque, uti vasa, una ex alia proficiscuntur ; in plexibus tamen et gangliis intimè commisceri easdem præsertim *Soemmeringii* (4) et *Zinnii* argumentis convictus persuasum habeo, nec profectò video ; quid inde in motibus et sensationibus confusionis oriretur, quod *Whyttius* metuit (5).

---

(1) *Adelon*, L. C., vol. IV, pag. 353.

(2) Hancce, vice versâ, tuemur sententiam : *Les nerfs ganglionaires recueillent l'influence stimulante des nerfs cérébraux, et la font servir aux mouvemens indépendans du centre de perception. Aussi la volonté ne peut-elle retirer ni même retenir la stimulation qu'elle leur a fait parvenir par l'exercice des fonctions de relation.* (Prop. XXXII, XXX.)

(3) De corp. human. fabric. I, IV, §§ 93, 94.

(4) L. C. § 181.

(5) Mémoires de l'Académie de Berlin, vol. IX.

Ea profecto est ratio cur sympathia sequatur rationem incitationis, tum totius organismi, tum præsertim alius organi. Quo verum vehementius agit pars quædam in encephalon, eo magis reagit cerebrum in omnes corporis partes quas simul afficit, dum sæpius tamen organon unum sympathice lædat. Accedat v. c. stimulus vehemens, mediante cerebro, totam perturbabit œconomiam. Cujus si queris exemplum, en irati imaginem : flagrant et micant oculi, multus ore toto rubor, exæstuante ab imis præcordiis sanguine; labia quatiuntur, dentes comprimuntur, horrent, ac subriguntur capilli, spiritus coactus et stridens, articulorum se ipsos torquentium sonus; gemitus mugitusque et parum explanatis vocibus sermo præruptus, et complosæ sæpiùs manus, et pulsata humus pedibus, et totum concitum corpus : fæda visu et horrenda facies (1). Quam facillimè nùnc concipitur quòd affectio morbifica intensa intensissima producat symptomata sympathica.

Ut nostram alterius dilucidemus opinionem, sequentia proponimus : 1.° spirandi necessitas manifestè percipitur ab encephalo, quod, perceptâ spiritûs hauriendi sensatione, musculis motus respiratorios imperat; 2.° nonne res eodem modo sese habent, quum, irritatâ membranâ mucosâ pulmonali seu nasali, tussis seu sternutatio obveniunt? 3.° adsit animæ defectio, suas cor sistat contractiones, aquâ vultum superjectâ et salis ammoniaci aspiratione stimulantur cutis seu membranæ pituitariæ nervi, percipit transmissam cerebrum irritationem, quod, subito reagens in totum systema ner-

(1) Seneca, de ira lib. I, cap. I.

veum, nervos cordis vivificat et denuo circulationis centrum in actum ducit; 4.° quis negabit affectionem sympathicam alicujus organi paris unius lateris ad organon par alterius corporis lateris mediante cerebro non esse transmissam? etc. etc.

Hæ nobis sufficiant. Sympathias, mediante cerebro, locum habere arbitramur. Encephalon, transmissâ ab organo quodam impressione perceptâ, in hocce illudve reagit organon, cujus susceptibilitas cum reactione speciali sensorii communis quadrat. Nonne prælatam confirmat opinionem phænomenorum sympathicorum diversitas in variis individuis? Fatendum est intimam sympathiarum cognitionem exactam ipsius vitæ notionem esse requisituram, quæ quidem clara vis vitalis idea, cum sensibus arripi nequeat, latuit hucusque et in æternùm fortè latebit: proinde à posteriori, minime verò à priori hac de re nobis disserere licet.

Immortalis *Bichatus*, rei medicæ hodiernæ lux, sui sæculi anatomiæ et physiologiæ illustre decus, cui enim tanta circà organorum structuram intimam eorumque functionum inventa tribuenda esse nemo ignorat, demonstravit singulum systema speciali suâ sensibilitatis gaudere *dosi*. Quod observatio omninò evincit. Nonne reactio sympathica ferè semper in aliquibus ejusdem systematis punctis sese manifestat, in quo systemate pars aliqua primitùs seu activè, ut verbis utar *Tissoti*, læsa fuit? Quot facta hancce veritatem luculenter probant! Sic, mucosâ ægrè affectâ, alia ejusdem naturæ membranæ pars mox sæpiùs condolet. Res sit in exemplo: inflammato ventriculo, pharinx, intestina crassa simul ægrè afficiuntur; catharrus vesicalis pulmonali catharro succedit; vasa et glan-

dulæ lympathicæ perceptibili modo aliquandò condolent : rem affirmante *Willisio*, colli et aurium glandulæ tumescentes fuerunt inventæ apud individuum jam à plurimis annis herniâ inguinali laborantem. Compressis glandulis inguinalibus colli et aurium glandulis sympathice condoluisse autumavit præcitatus auctor. *Th. Bartolin* et *Ledran* similia referunt. Quidquid sit, glandulas colli tumescere compertum habemus in individuis tabe mesentericâ et phtisi tuberculosâ affectis.

Proprietates vitales in organis similibus, ad eamdem functionem peragendam concurrentibus, æqualiter absque ullo dubio distribuuntur. Eam ob causam oculo uno ægrè affecto, alter seriùs vel ocius condolet (amaurosis, cataracta); renes, testiculi similia præbent exempla. Quis mammarum et uteri sympathias ignorat? Titillatione clitoridis nonne indurescunt mammarum papillæ et vice versâ? Attamen quò magis proprietates vitales in organo vigent, eo sympathicorum phænomenorum magis est capax. Sic affectio gastrica concomittatur pneumoniâ apud hunc quum jam prædipositi ad inflammationem pulmones exstant; dum apud illum, priori V. C. juniorem, cum gastritide simul obveniunt convulsiones, hydrocephalusve. Adsint tandem individui duo, ejusdem ætatis, eodem simul affecti morbo, quantum discrepabunt sympathiæ respectu habito ad sexum, temperamentum, consuetudinem, etc.

Nosmet ipsi nonne viam a naturâ prolatam sequimur, quum remediis utimur epipasticis, ad irritationem ab uno in aliud punctum transferendam? Nonne quam facillimè rationem nobis nunc reddere possumus cur opiniones, quoad visicantium applicationem tantum

discrepent? Vesicantia, ni fallimur, felicem tantum productura sunt effectum, quum in loco ubi apponuntur majorem inflammationis incitant gradum quam ille in parte læsâ obvius. Indè patet multis in casibus antiplogisticorum utilitas, antequam vesicantibus utamur. Remedia epispastica nostram ulteriùs corroborant opinionem quoad actionem cerebri in transmittendas sympathias; quoniam encephalo, idiopathicè seu sympathicè admodùm inflammato, vesicantia nullam in cute peragere queant actionem et ita frustrà applicentur. Nostram tandem firmant opinionem motus à fœto in utero materno peracti, qui motus, ut rectè observat *Bichatus*, non fœtûs volontati sed visceribus in cerebrum reagentibus adscribendi sunt hanc nostram opinionem de sympathiæ productione, plurimis aliis ejusdem generis argumentis stabilire res non esset difficilis, ni id et temporis angustia et dissertationis Academicæ limites impedirent.

TANTUM.

THESES.

I. Quicumque alvos habent humidas, ii quidem si juvenes sunt meliùs degunt, quam qui siccas habent. At in senectute pejus degunt, cum ipsis senescentibus fere resiccentur. Hippocrates, Aphor. 5, lib. II, sect. II.

II. Autumnus tabidis malus. Aphor. 10, sect. III.

III. Somnus, vigilia, utraque modum excedentia, malum denuntiant. § II Aphor. 3.

IV. Quæ ex longo temporis intervallo assueta sunt, quamvis deteriora, insuetis minus molesta esse solent. Quare ad insolita etiam facienda mutatio. § II Aphor. 50.

V. Si cui sine febre, cibi fastidium, oris ventriculi morsus, tenebricosa vertigo contigerit, et os amarum fuerit, hæc necessariam esse per superiora purgationem indicant. § II Aphor. 49.

VI. Inflammationes intermittentes specificas existere autumamus.

VII. Stimulis aromaticis aut volatilibus dolores ad partum excitare velle, quando post debitum vigorem penitus cessarunt, ineptum est.

VIII. Sequentem in genere non admittimus scriptoris angli *Blake* propositionem : Nunquam ligaturâ constringatur funiculus ombilicalis, antequam in hocce funiculo sponte cessaverit sanguinis circulatio, id est, antequam neonati fletus audiantur.

IX. Sequentes pariter rejicimus Hippocratis Aphorismos : « Mares uteri dextra parte, fæminæ sinistra magis gestantur. » § VII Aphor. 48.

X. Ut secundariæ excidant, sternutatorio naribus opposito, eas et os comprimito. § V Aphor. 49.

XI. Nobis gastro-hysterotomia synchondrotomiæ præferenda videtur.

XII. Convulsiones et hæmorragiæ, quoad curam, admodum sunt diversæ, quum ante partum, partûs tempore, vel jam nato infante, obveniunt.

XIII. Vectis docta manu ductus aureum est instrumentum.

XIV. Nigredinem cutis Æthiopum non ab ardore solari pendere credimus.

XV. Ille profecto laudabilior chirurgus, qui minimo instrumentorum apparatu et indiget et utitur.

XVI. Si hernia incarcerata, viginti quatuor horis elapsis, nec medicaminibus, nec *taxi* solvi potuit, statim instituendam esse herniotomiam sustinemus.

XVII. Sola debilitas non est conditio, qua chirurgus ab operationibus gravioribus instituendis abstineat.

Vidi nihilque reperi quod § 56
leg. Acad. adversetur,
F. E. VERBEECK,
Fac. Med. Prof. ord. et Dec.